



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Prohibemus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

## SUMMARIUM.

1. Beneficia electiua conferre, aut sibi referuare non potest Legatus à latere, nisi deuoluatur ad Papam, & intra prouinciam existant.
2. Reseruata Papa absq; speciali eius mandato conferre non potest.
3. Nec alicui potest seu in genere, seu in specie facultatem facere accipiendi resignationes beneficiorum, & ea personis idoneis conferendi.
4. Potest tamen alicui committere beneficij resignationem, & hac accepta eidem committere, ut persona idonea conferat.
5. Resignationes beneficiorum liberas & absolutas recipere potest, uti & eas, quæ sunt causa permutationis; non autem quæ sunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ.

**NOTANDVM Vn.** Legatus non potest se immiscere beneficijs electiuis, ea conferendo, aut sibi referuando. Quia id cederet in præiudicium Electorum, quibus nec Papa facile derogare solet; sed liberam illis eligendi libertatem relinquere, argum. c. eum in illis. 16. §. Illis verò, de præb. in 6. & videri potest Azor tom. 2. lib. 5. c. 28. q. 16.

Sin autem eiusmodi dignitates electiuae aliæ beneficia intra prouinciam existentia ad Papam deuoluta sint, ob electorum vel collatorum negligentiam, tunc Legatus ea conferre potest, sicuti ex communi docet Syl. ver. delegatus, quæst. 13. ver. Quærit, Gambarus de aucto. Legati à latere, lib. 3. n. 620. Erasmus Chokier de iurisd. ordin. erga exemptos, p. 4. q. 30. Garc. cit. p. 5. c. 3. n. 21. post Gl. fin. in c. 1. hoc lib. & tit. vbi ex Goffredo refert, quòd Legatus à latere ea præcipuè beneficia conferre possit, quæ ad Papam deuoluta sunt, quippe cuius vices in prouincia gerit. Imò monent Gambarus & Garcias II. ce. quòd Legato non currat tempus semestris, sub pœna priuationis pro ea vice constitutum in Concil. Lateranensi, c. 2. de concels. præb. Quandoquidem à Legato,

tanquam Apostolicam auctoritatem habente, non fit deuolutio ad Papam.

Cæterùm quæ Summus Pontifex suæ collationi beneficia referuauit, uti videre est in extrauag. Ad regimen, de præb. ea Legatus absque speciali mandato conferre non potest, arg. c. quod translationem, 4. extra, hoc tit. & docui lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

## §. Prohibemus.

**L**egato à latere concessum non est potestatem alicui seu in genere, seu in specie facere, ut beneficiorum resignationes accipiat, & ea personis idoneis conferat. Ratio prohibitionis est. Quia occasione talis commissionis vacatio beneficiorum modis illicitis procurari potest, contra Conc. Lateran. c. 2. de concels. præb. Posset tamen Legatus alicui committere beneficij resignationem, & postquam resignatio accepta est, eidem committere, ut personæ idoneæ conferat, sicuti Gl. communiter recepta hinc docet, ver. vnicuique, & dixi in c. 2. de Vicario, in 6.

**NOTANDVM Vn.** Legatus à latere beneficiorum resignationes liberas & absolutas recipere potest, uti etiam colligitur ex c. si Abbatem, 36. de elect. in 6. Eas quoque resignationes, quæ sunt causa permutationis, non autem quæ sunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ, sicuti ex communi docet Flamin. Parisius lib. 7. de resignat. benefic. quæst. 13.

## CAPITVLVM VLT.

## Collatio.

## SUMMARIUM.

1. Collatio beneficij à Legato motu proprio facta alteri aliud habenti, valida est, modo beneficia incompassibilia non sint.
2. Collatio Ordinariorum cur ob taciturnitatem prioris beneficij non infirmetur, cum tamen collatio Legatorum per taciturnitatem prioris vitietur.

Ssss 2

Bene-